

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,  
DE  
**PIETATE**  
**PHILOSOPHICA,**  
PARS PRIMA

---

Q U A M,

*Consensu Amplissim. Senatus Philosoph.*  
*In Illustri ad Auram Atheneo,*

P R Ä S I D E

*MAXIME REVER. atque CELEBERRIMO VIRO*

**MAG. WILHELMO**  
**ROBERT. NÄAF,**  
Logices & Metaphysices PROFESS. Reg. & Ord.  
Facult. Phil. h. t. DECANO maxime spectabili,

*Ad publicum examen modeste defert*

**GUSTAV. JOH. HOSSLERIUS**

Borea-Fенно.

In AUDITORIO MAJORI Die XXXI Maji

An. MDCCCLXXV.

*Horis post meridiem solitis.*

---

A B O ÄE,

Typis JOHAN. CHRISTOPH. FRENCKELL.

ΕΙΑΙΡΩΝΟΙ ΒΑΤΩ

ΕΙΑΙΡΩΝΟΙ ΒΑΤΩ

ΕΙΑΙΡΩΝΟΙ ΒΑΤΩ

S. L

**U**t nihil unquam meliores in pectora mortaliuum  
ingenerat mores, quam divinitatis agnitio,  
nihilque efferatis animis mitigandis aptius &  
nunc, & olim fuit, quam veritas illa, quæ negari  
nequit, quin magnopere reclamet: *DEUS existit,*  
*quem religioso cultu prosequi oportet;* ita mirari con-  
venit, nonnullos, velut pestilenti quodam sidere af-  
flatos, eo processisse temeritatis, ut sibi aliisque si-  
dem facerent, omnem de religione concertationem,  
tanquam animorum labem, e republica literaria e-  
liminandam esse, ut sentiendi credendique, quid  
quisque velit, licentia triumphet, & errantes o-  
mnes recte ambulare credantur. Evidem inficias  
nequaquam iverim, ad odia, discordias, & conten-  
tiones gravissimas, publicis etiam rebus saepenum-  
ero funestissimas, & excitandas & fovendas, vix  
quicquam magis accommodatum esse, quam infru-  
nitum illum disputandi, contendendi & cavillandi,  
qui multos vexat, puritum; ast, qui abusus illos,  
illa disputantium quorundam vitia, pietatis eique  
innexæ veritatis defensioni moderatae obesse dixe-  
rit, is caularum etiam Forensium defensionem vel  
ideo illicitam pronunciabit & damnandam, quod

A

qui

qui ea defungantur, pessimis quandoque animi vi-  
tiis indulgere queant. Profecto, ut multa alia, quæ  
haud inepte hic moneri possent, sicco nunc præter-  
eam pede, res omnino præclara est, posse religio-  
nis Christianæ capita ex genuinis suis principiis de-  
monstrata exhibere, turgidasque Atheorum, Liber-  
tinorum, aliorumque id genus hominum, cogitatio-  
nes funditus tollere. Sanctior quippe disciplina, tam-  
etsi suis innixa opibus, externis præsidiis non in-  
digeat; philosophorum tamen comitatu ac fatelli-  
tio delectatur, quo hostes a Sacris limitibus fortius  
depellere, eosque propriis sibi ac domesticis armis  
jugulare possit. His ego inductus rationibus, tuaque  
B. L. solita fretus humanitate, apud animum meum  
constitui, Pietatem Philosophicam per extremas du-  
cere lineas, temporis & facultatum ratione metiendas,

## §. II.

Ut omnis, quæ de re aliqua suscipitur, institutio a  
definitione proficisci debet; ita in ipso statim limi-  
ne monuisse juvat, nos per pietatem Philosophicam  
nihil aliud intelligere, quam *habitum conformandi a-  
ctiones suas legi Naturæ per motiva, ex attributis Dei  
ejusque providentia desumpta, quatenus lumine naturæ in-*  
*notescunt.* Hanc vero ideam non in cerebro philo-  
sophantium unice natam esse, sed in ipsa re suum  
habere fundamentum, vel is demum facile animad-  
vertet, qui meminerit, ad pietatem, ita conceptam,  
arctissimo nos teneri obligationis vinculo. Ex o-  
mnimo-

§ ) 3 ( §

nimoda enim hominum a Deo dependentia, absque  
longo ratiociniorum syrmate, colligere licet, ipsi  
plenarium ac illimitatum prorsus in illos compete-  
re jus & dominium. Nam si opis ex manuum sua-  
rum opus sibi tribuat; si vas est figuli, a quo ef-  
fingitur; quidni Deus hominem sibi vindicet, quem  
liberrima sua voluntate ex nihilo productum beni-  
gnissime conservat, manuque omnipotenti gubernat?  
Unde sua sponte sequitur, homini haud integrum  
esse, proprio vivere arbitratu, sed vi legis Naturæ  
necessse omnino esse, ut ad Dei, superioris sui ac  
Domini, voluntatem liberas suas componat actiones,  
easque ad manifestationem gloriae divinae, tan-  
quam finem rerum ultimum dirigat. Verum enim  
vero homo, qua homo, alio modo gloriam Dei  
manifestare nequit, quam si actionum suarum mo-  
tiva ex perfectionibus divinis desumat. Quam ob  
rem, cum Pietas Philosophica, juxta notionem da-  
tam, involvat habitum conformandi actiones suas  
legi Naturæ per motiva, ex perfectionibus divinis  
& providentia divina desumpta, quatenus ratio-  
nis lumine innotescunt; in aprico est hominis ad  
illam sectandam obligatio.

### §. III.

Quod cum ita sit, mirum forte videbitur, po-  
tuisse Augustinum & Ambrosium, ad eorumque e-  
xemplum magni nominis atque auctoritatis Theolo-  
gos, quos longo ordine recensere supervacaneum

arbitramur, ad hanc pyperbolen adduci, ut pietatem Philosophicam augusto virtutis nomine prorsus indignam judicarent, nil nisi splendidum peccatum virtutisque umbram & simulacrum ipsam vocitantes. Nam si eorum assertio sine ulla limitatione granoque salis admitteretur, tantum abest, ut ad pietatem Philosophicam obligaremur, ut haec potius in eadem classe cum actionibus simpliciter malis, sive sceleribus atque flagitiis, quæ omni ex parte a regula rectitudinis deflectunt, collocanda omnino foret; quo nihil unquam absurdius excogitari vel fingi potest. Sed respiciunt isti procul dubio ad insignem, quo Philosophica pietas laborat, defectum, quem etiam nos agnoscimus, ingenue fatentes, hanc a Christianæ virtutis perfectione immenso propemodum distare spatio. Mentem ipsorum cum nemo accuratius expresserit Leonharto Huttero, merentur verba ejus, quamquam prolixiora sint, huc integra transcribi: **Geminam**, inquit, bonitatem in consideratione B. O. dari posse statuimus. **Alia** enim est **bonitas**, quæ tantum respicit substantiam facti sive operis, utrum ea legi divine sit conformis, nec ne? non vero ipsius personæ qualitatem considerat, utrum ea sit Deo reconciliata, nec ne? **Alia** est vero **bonitas**, quæ non modo substantiam facti, sed & qualitatem personæ respicit, & in Scholis Theologorum dicitur **absoluta**. Priori ergo modo si considerentur opera & virtutes Gentilium; respondemus, eas fuisse relate bonas, nempe quoad substantiam operis, quæ præceptis Dei congruebat, & suo quodam modo

Deo

Deo placebat, qui honorum etiam temporalium præmiis  
eas remuneratus est, & a graviori damnationis sup-  
plicio securitatem præstuit, ut loquitur Augustinus. (a).  
Celebratissimo huic Theologo adjungimus alium  
non minoris eruditionis ac famæ, quam inter no-  
stros obtinuit, B. loquimur Musæum, qui judicium  
de virtutibus naturalibus expositurus, recte obser-  
vat, eas non posse peccata dici, nisi propter adhæ-  
rentes imperfectiones, & quia ex fide haud profe-  
ctæ sunt, Deoque adeo non placent. (b). Verum e-  
nim vero nihil obstat, majus licet vel minus rerum  
quarundam pretium sit, quo minus ad idem illæ re-  
ferantur genus, quarum eadem sunt requisita, ea-  
demque essentialia prædicata. Vnde, cum pietas  
Philosophica importet habitum actiones legi Natu-  
ræ conformiter dirigendi ex motivo, ab attributis  
divinis & providentia divina desunto, quatenus de  
his ex lumine rationis nobis constat (§II): virtus  
autem habitum actiones legi divinæ conformandi  
(per defin.) cur laudata pietas inter virtutes, pro-  
prie sic dictas, eminentem certo certius sibi vindicet  
locum, attendentí cuivis ad oculum patet.

(a) Vide Ej. locos Theolog. Art. XIV de B. O. qv.  
I. p. 481. (b) Der Zenisch. Theol. ausführl. Erfährung  
Loco VIII de L. A. Quæst. LXII. p. 334.

#### §. IV.

Comprehendit igitur, inque sinu suo fovet pie-  
tas Philosophica vivam Dei cognitionem, Ad illam  
A 3 quip-

quippe requiritur, ut actiones determinentur per motiva ex perfectionibus Divinis desumta (§II); hoc vero absque vera perfectionum Divinarum cognitione haud fieri posse, adeo est manifestum, ut dudum in proverbium abierit; *ignoti nullam esse cupidinem.* Qui enim, quæso, Deum honore afficere poterit, qui de divinitate ejus abominandos sovet errores? Qui poterit quis debito amore Eum prosequi, nisi antea ipsi plane persuasum fuerit, non de existentia modo Dei, sed & naturæ divinæ infinita excellentia, & innumeris beneficiis divinitus in se collatis? Qui denique filialem Numini præstabit timorem, qui infinitam ejus bonitatem, justitiam atque potentiam vel plane negaverit; vel falsos de his ipsis sibi fomaverit conceptus? Profecto, cum mens vel adhuc ignara est, nondum collustrato per cognitionem veritatis intellectu, vel etjam multis erroribus temerata notitia gaudet; sæpenumero fieri novimus, ut voluntas cœca magno impetu præceps ruat in modos Deum eolendi prohibitos ejusque perfectionibus prorsus indignos. Tantum itaque abest, ut ad pietatem Philosophicam qualiscunque & tralatitia perfectionum divinarum sufficiat cognitio, ut vera potius determinationem voluntatis ingredi debeat. Quam ob rem, cum cognitio dicatur viva, quæ sit motivum volendi; in propatulo est, ad pietatem Philosophicam requiri vivam perfectionum divinarum cognitionem,

## §. V.

Corruit sic antiquissimum illud, sed nova subinde

inde larva procedens monstrum sacro-profanum, quod a religionum, quam profitetur, indifferentia, Indifferentismi nomen traxit. Svevit is, prout hodienum obtinet illius fama & usus, dispesci in *Universalem*, qui perinde esse docet, quamcunque inter omnes religiones, sive Christianas, sive a Christianismo devias, doctrinam sententiamque amplectaris; & *Particularem*, qui circa duas, pluresve religiones Christianas versatur, ea tantum, quibus a se invicem discernuntur, capita pro indifferentibus habens; qui tandem in *Syncretismum* abit. Uterque *Dogmaticus* dicitur, a *Practico* distingvendus, qui actiones tantum respicit, earumque differentiam Moralem negat. Splendidis alioquin Universalis ille, qui hujus potissimum loci est, ornari solet titulis, utpote cum religio *Prudentum* nuncupatur, quia viri, ut temere jactant, prudentes, & elegantia ingenia, indole sua plebem longe excedentia (*Galli les Esprits forts* dicunt, quibus opponitur *gens de service*, h. e. gens servitutis) eam adamant & colunt; religio *Magna*, quoniam in credendo statuendoque omnium se placitis accommodat; religio *Politica*, seu *Statica*, quia Politici, Machiavellisticis adhaerentes principiis, omnem Deic ultum non ex veritate, sed utilitate, & ratione status impie metiuntur. Quod vero ad ipsam Indifferentistarum turbam attinet, extra controversiam possum arbitramur, praeter Apellem & Rethorium, in tota antiqua ad Lutherum usque ecclesia, neminem fuisse unum, qui religionum indifferentiam profiteri ausus sit. Renatis vero literis, & reformato

finata à Romanensium cordibus cœlesti doctrina, religionis cuiusdam universalis mentionem injicere cœpit Thomas Morus, Anglus, quippe qui *Utopum* suum sanguis ait: quam cuique libeat sequi, uti licet religione. (a) Nec multo aliter Benid. Spinoza: concludimus, inquit, nihil reipublicæ tutius esse, quam ut pietas & religio solo charitatis & aequitatis exercitio comprehendatur; cæterum cuique & sentire, quæ velit, & quæ sentiat, dicere concedatur. (b) Eandem scenam adornavit excoluitque Bœhmius, (c) Anton. Bourignonia, (d) Pet. Poiretus, ut bonorum Bourignoniæ, ita etiam doctrinarum hæres, (e) & qui furore ineptiisque palmam his omnibus præripuit, personatus ille Christianus Democritus. (f) Ceteros omnes, nostro potissimum ævo Indifferentismi labi infectos, ut unico complectar fasce, obsevasse juvat, quod eorum tantum non omnes, cum Arnoldo, (g) & Friedlibio (h), haud diffiteantur quidem, unam religionem præ altera veriore esse, neque ratione veritatis perinde esse, cui illarum adstipuleris. Esse enim omnino unam religionem veriorem, quam alteram, quamquam de nulla pronunciandum sit, quod meram veritatem & omnem veritatem profiteatur. Sed tamen professionem vel veritatum, vel errorum in quaunque religione homini neque damnum aliquod afferre, neque utilitatem, h. e. siue hanc religionem profitearis, siue aliam, ad salutem subsequendam perinde esse; nam diversam hanc religionis professionem hominem neque damnare, neque salvare,

vere, sed unice damnare voluntatis impietatem;  
 & unice salvare animi pietatem. (i) Hoc igitur  
 innixi fundamento, certam doctrinæ ~~υποτάσσειν~~ sus-  
 que deque habent, quin immo Catechismis, Con-  
 fessionibus & Symbolis bellum indicendi quameun-  
 que captant occasionem, publice professi, si qua ad  
 fidem notitia foret opus, ad talia saltem eam ne-  
 quaquam esse exigendam: ipsa enim hæc totidem  
 Eridos poma, & concordiæ pacisque remoras sem-  
 per fuisse, ac hodiendum esse, & vel ideo tanquam  
 compedes, libertati Christianæ temere injectas, me-  
 rito repudiari. Hinc etiam, quæ Symbolorum, ea-  
 dem & Systematum Theologicorum apud eos con-  
 ditio est; quippe quibus Theologiam nostratium Phi-  
 losophicam, Scholasticam, quæstionarium, spinosam,  
 otiosamque factam esse, criminantur. Sed jam diu  
 est, quod præstantissimi, iique maximi nominis Theo-  
 logi, argumentis ex limpidissimo revelationis fonte  
 depromtis, portentosas has opiniones adeo solide  
 confutarunt, ut earum fautores in pudorem prorsus  
 dedisse videantur. Nobis igitur, quibus falcem in  
 alienam messem immittere non licet, unam tantum  
 alteramve observationem, rationis innixam princi-  
 piis, adduxisse sufficiat. Scilicet, qui unam religio-  
 nem alteri præferendam negant, omniumque coe-  
 tuum discretionem aversantur, hos sane, quum re-  
 ligio determinatum certumque involvat DEUM co-  
 lendi modum, ab omni prorsus ad cultum DEO  
 præstandum obligatione se solutos esse, cum Atheis  
 statuere oportet. Nec est, quod dicant, & nos cre-

dere jubeant, opiniones de DEO rebusque divinis  
in se esse indifferentes, cum summi Numinis glori-  
am aliæ illustrent, aliæ obscurent, veramque pietat-  
em aliæ promoveant, impediunt aliæ. Sic, in re  
clarissima ut tribus defungar verbis, quomodo fidu-  
ciam in DEO collocabit, qui cum Epicuro de pro-  
videntia ejus dubitat? Quomodo adversa fortuna  
pressus tristitiam temperabit, inque Creatore suo ac-  
quiescet, dum illum haud absoluta bonitate, justitia  
& potentia instructum esse, arbitratur. Certe pie-  
tas, veræ non inædificata DEI cognitioni, pietatis  
potius larva est, & Lerna malorum, stupidusque  
zelus, cui lumen ademtum, quam vera pietas; quemad-  
modum ex iis, quæ §. præcedenti dicta sunt, fa-  
tis superque patet.

(a) Utopiæ p. 119. Edit. Helmst. (b) Tract. Theol.  
Polit. de Libert. Philosoph. Cap. XX. sub finem. (c) In  
Tract. von dem dreifachen Leben des Menschen Cap. VI.  
§. 21. (d) In Tract. von der Licht der Welt. (e) In Oec.  
Div. Lib. III. C. 13. (f) In Libello: Ein Hirdt und ein  
Herde. (g) In Hist. Eccl. & Hæret. opere passim. (h)  
In scripto, cui titulus: Untersuchung des Indiffer. Religio-  
num. (i) Fecht. Exam. Theol. Indiff. Cap. III. §. 3. p. 39.

## §. VI.

In naturam indelemque pietatis Philosophicæ  
si ulterius inquiramus, eam circa varios actus, qui  
cultus divini nomine venire solent, maximopere oc-  
cupatam esse, facili constabit negotiø. Etenim jux-  
ta

§ ) ii ( §

ta communem, & a philosophis jam diu receptum, loquendi usum, consistit cultus divinus in præstatio-  
ne actuum, qui circa DEUM versantur, & quibus gloriā Ejus intendimus. Verum enim vero, quemadmodum actus, quos homo ex libertate & intentione edit, sunt vel interni, vel externi; ita cultus divinus recte dispescitur in internum, & externum, quorum ille in actibus internis, utpote amore DEI, filiali timore, & fiducia consistit, hic externis, seu motu organorum corporis perficitur. Quamobrem, cum pietas Philosophica involvat habitum determinandi actiones per motiva, ab attributis divinis desumpta, quatenus de his ex lumine rationis nobis constat (§. ll.); illam circa cultum tam externum, quam internum, quantum possit, maxime occupatam esse, dubio prorsus vacat. Hinc, quam verum est, ad laudatam pietatem omnes in universum obligari (§. cit.); tam certum pariter ac exploratum haberi debet, ad utrumque cultum nos artissimo obligationis vinculo teneri; quicquid etjam obver-  
tatur ab iis, qui cum Thomasio & Rydigerō neces-  
sitatem cultus externi ex jure Naturæ & ratione sibi reli-  
cta vix, ac ne vix quidem, evinci posse autumant.  
Profecto, permagni omnino interest, ut in cultu Numinis, sine foco totoque pectori peragendo, at-  
tentionem nostram, quam ab objectis externis sæ-  
pius distrahi novimus, excitemus, excitatam con-  
servemus, & cum affectu promoveamus. Id vero  
tum demum fieri constat, si interiorem animi de-  
votionem Symbolice, seu per signa externa expri-

mamus. Neque facile adducor, ut mihi persuadeam, sufficientem aliquam dari rationem, cur actus externi ab internis sint separandi, quum hi, si ardentiores fuerint, in illos sua sponte erumpant. Digna omnino sunt, quæ heic adponantur, verba b. Schomeri: Erga DEUM, inquit, non quidem opus est voce, ne dum multa voce, qui & mentem nostram intelligit, & omnia, quæ ipsi enarrare possumus, melius nobis perspecta habet; attamen animi impetus rumpit vocem: neque ita creati sumus, ne de motibus animi intensioribus corpus & lingua participet. (a) Cur igitur naturæ resistamus, cujus auctorem novimus DEUM? Et quid magis æquum, quam ut DEUM, cui nos totos, & quicquid demum est boni, acceptum referimus, toti etjam, h. e. anima pariter ac corpore colamus? Quid ergo æquitati congruentius, quam ut cultu, tam interno, quam externo, ipsum prosequamur?

(a) Theol. Mor. Cap. VI. §. XIII.

### §. VII.

Inter eruditos vero, non hodie primum, aut nudius tertius, sed inde a multis retro seculis, an caps & perardua sane agitata fuit quæstio: an pio Dei cultori ullum propriæ salutis ac felicitatis respectum habere liceat? Præterquam enim, quod, ante Christi tempora, Antigonus Sochæus, inter Judæos sapientiæ laude clarus, palam professus sit, Deo si-  
ne

ne spe mercedis ac retributionis serviendum esse; proximis etiam post natum Salvatorem seculis, quidam Patrum, & in his præcipue Clemens Alexandrinus, eandem urserunt doctrinam. Propiori ævo occurrunt nobis magna illa in orbe litterato nomina, Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus, & Petrus Malebranchius, Pater ordinis oratorii Parisiensis, in partes contrarias circa momentosissimum hoc doctrinæ caput divisi. Scilicet amorem Dei Desinteressatum ut hic eo fortius impugnaret, in lucem publicam emisit tractatum quendam: *Recherche des vertus*, ad quem, tanquam magnum sententiæ suæ præsidium, cum provocasset Arnaldus, Mysticorum placitis magnopere favens; inter utrumque gravissimæ ortæ sunt contentiones, in primis postquam alter alterum scriptis publicis sibi refutandum sumserat. Hinc nactus occasionem Lamyus litem quoque Malebranchio movendi, videbatur sibi summo jure contendere posse, amorem, in quo ulla ratio privatæ felicitatis habeatur, impurum esse, atroque carbone notandum; cum ex adverso contenderet Malebranchius, dilectionem, a propria felicitate abstractam, impossibilem esse, frustraque fingi: quam sententiam novo libello, cui titulus: *Traité de l'amour de Dieu, en quel sens il doit être desinteressé*, confirmavit. Ast vix, ac ne vix quidem, majori animorum motu de eodem argumento disceptatum fuit, quam cum Archi-Episcopus, Fransicus de Salignac, Dux & Abbas Camerascensis, edito, circa finem superioris seculi, libro: *explication des maximes*

*des saints sur la vie interieure, docuisset, caritatem  
animæ fidelis erga Deum esse vel servilem, ex ti-  
more inferni, vel mercenariam, ex spe cœlestis gau-  
dii, vel puram denique, ex diligentí consideratione  
Numinis, ortam; hanc postremam asserens solam  
convenire Christianis, ita ut Deus propter se tan-  
tum, nulloque habitu respectu ad beatitudinem a-  
mantis, in Deo reperiundam, amari debeat. Aciem  
quippe contra Fenelonum mox instruebant Ludo-  
vicus Ant. Noviliacus, Archi-Episcopus Parisiensis,  
Jacobus Ben. Bossuetus, Episcopus Meldensis, & Pau-  
lus de Godets, Episcopus Carnutensis, in eo o-  
mnem ingenii vim expromentes, ut nexit, quos  
neutquam expediri posse, sibi persuadebant, difficul-  
tatum nodis, sententiam ejus infirmarent funditus-  
que everterent. Sed nec committendum putavit  
Fenelonius, ut adversariorum viribus fractus vide-  
retur & abjectus, quin potius famæ consulturus,  
novo scripto suam stabilire perrexit sententiam, in-  
felici quamquam successu. Nam, postquam disce-  
ptatio hæc, mutuis discussionibus & apologiis diu  
agitata, multorum turbaverat animos, eo tandem  
ventum est, ut ex decreto Pontificis, Innocentii  
XII, vel totus Fenelonii libellus, vel saltem viginti tres,  
quas continet, propositiones fundamentales, palam Ro-  
mæ a. 1659. condemnatae sint. Qua facta excommunica-  
tione, sua quidem placita revocavit Archi-Episcopus no-  
ster; in Gallia tamen Belgioque larga nihil feciit fuit  
eorum missis, qui eadem sine ulla limitatione am-  
pliceti haud dubitarunt. Verum enim vero, ut de*

intr-

intricata hac, quæ tot tantisque viris crucem fixit, controversia nostram tandem aperiamus mentem, in irrationalis philautiæ Scyllam certo certius nobis incidere videntur, qui obligationem hominis ad Deum amandum pariter ac pie colendum vel ex propria perfectione, vel sociali simul, metiendam esse dictitant. Quemadmodum enim cultus & amor, qui sola mercedis causa Deo exhibetur, non Dei, sed utilitatis ac commodi dicti meretur; ita sub ista hypothesi, non gloria Dei, sed nostra perfectio, vel privata, vel socialis, esset ultimus actionum finis; neque homo amore cultuque divino gloriam Ejus, sed suam intendere deberet perfectionem; quorum utrumque quam sit absurdum, vel me tacente, nemo non intelligit. Sed nec diffitendum, quod hos evitaturi scopulos, in immodica abstractionis Charybdis sedent præcipites, qui fontem ac originem obligationis ad Deum supra omnia amandum & honorem obsequiumque ipsi præstandum, in sola naturæ præstantia, ac perfectionibus Ejus absolutis, sine ulla ad nos facta relatione, collocandam esse, arbitrantur. Nam inter reliqua attributa divina etiam suspicimus ac veneramur bonitatem Dei relativam, qua post majestatis suæ manifestationem, nos ad felicitatem creavit. Frustra vero hanc nobis paraslet, nisi desiderium ejus, bonique cupidinem pectoribus nostris tam alte impressisset. Finibus igitur divinis nostræque obligationi conformiter agimus, dum in Deo amando nostram respicimus felicitatem, tanquam effectum unionis cum Deo, & necessarium

Sum.

Summi boni consequens; amorem nostri ipsorum;  
rerumque extra nos positarum, amori divino subor-  
dinantes. Ab hoc vero ordine quam primum a-  
mor in Deum deflectit, mercenarius evadit, inque  
pravam abit philautiam.

S. D. G.

